

In ipsa quoque presentatione seu provisione, ut cultus divini nominis ampliatur, existat inviolabiliter observandum, ut beneficio parochie et altarium predictorum simul nullatenus uni et eidem persone assignentur, sed utrumque eorum divisum suam specialiter habeat personam ydoneam vita et moribus conprobatam. In cuius rei testimonium, ne ipsis burgensibus et consulibus prefatis in posterum aliqua erroris calumpnia nasceretur, presens instrumentum publicum hanc meam litteram continens per notarium | publicum infrascriptum publicari petivi et sigilli mei feci appensione muniri. Actum et datum anno domini millesimo tricentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Urbani, divina providencia pape sexti, anno sui quarto, octavo kalendas mensis augusti, hora nona ut quasi in consistorio civitatis Zcwickaw memorate Numburgensis diocesis, presentibus providis viris et discretis domino Johanne Lemmertzagell in hospitali sepius dicto plebano, domino Heinrico Fullingast presbytero dyocesis predictae, Johanne Nawstat, Jo[h]anne Ciconie, Heinrico Steinhauß, Peter Gerhardi, Nicolao Werdis, Ulrico Clahrer, Nicolao Hug, Burckardo de Gera, Jencko Stolczel, Petro Kemmpnitz, Johanne de Weydaw, Hanemano Lemberg consulibus et testibus ad premissa rogatis specialiter et requisitis.^{h)}

ⁱ⁾Et ego Conradus Marquardi de Zcwickaw clericus Numburgensis dyocesis publicus imperiali auctoritate notarius donacioni, resignacioni, dum sic agerentur, ut premittitur, una cum prenotatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi. Ideo presentes litteras in notam publicam manu propria conscriptas, rogatus redegei, signo et nomine meis solitis signavi in fidem et testimonium premissorum requisitus.

Et nos^{k)} Kristianus dei et apostolice sedis gratia episcopus ecclesie Numburgensis tenore presentium publice profiteamur, quod supradicta resignacio ^{l)}iuris patronatus^{l)} supradictorum beneficiorum per dominum Johannem Zcakan plebanum in Leßnitz tradicio et donacio ejusdem proconsulibus et iuratis oppidi Zwickaviensis et eorum successoribus, ut supra tangitur, facta de nostro consilio, consensu et assensu facta sunt. Idcirco eas ratificamus, approbamus et confirmamus in dei nomine in hys scriptis. In cuius rei testimonium sigillum nostrum mayus presentibus est appensum. Datum et actum ut supra.ⁱ⁾

a) folgt gestrichenes Wort (B) b) so (B) c) futuram (B) d) paginem (B) e) verbessert aus compedit (B) f) folgt Lücke von 3 cm (B) g) folgt gestrichen de- (B) h) folgt von gleicher Hand die Bemerkung: Istud instrumentum concordat cum originali, cuius signetum hic non est appositum licet, in originali habet et de quo fidem dedit dominus Nicolaus Funckel (B) (i-i) nur (B) und (C) k) folgt gestrichen: Krist- (B) (l-l) iuspatronatus (B)

171. *Die (Markgrafen von Meißen) übertragen Johann Fraureuth und dessen Gemahlin Katharina ein Wohnhaus in Zwickau zu lebenslänglicher Nutzung.*

1382 April 20

Original nicht zu ermitteln. — Abschrift: SächsHStA Dresden, 10004, Kopiale, Nr. 28, fol. 52r (14. Jh.) (B).